





1750, 6  
DISSERTATIO JURIDICA INAUGVRALIS

17  
25

DE  
OBLIGATIONE  
DOMINI  
ERGA  
VASALLVM,

QVAM  
EX DECRETO ET AVCTORIATE  
AMPLISSIMI JCTORVM ORDINIS  
IN ILLVSTRI ET PERANTIQVA VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI,

SVB PRAESIDIO

DN. JO. CHRISTOPHORI  
SPITZ, JCTI,

FACVLTATIS JURIDICAE NEC NON JVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS  
ASSESSORIS, PROFESS. PVBLICI, H. T. DECANI, ATQVE CIVITATIS  
ERFORD. CONSVLIS,

PRO SVMMIS IN VTROQVE JVRE HONORIBVS  
RITE CAPESSENDIS,  
PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS

CHRISTOPH. FRIDER. MÜLLERVS,

TILLEDA-SCHWARZBVROICVS,  
ADVOCAT. ELECT. SAXON. IMMATR.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI HOR. CONSVET.  
DIE XI. AVGVSTI M DCC L.

ERFORDIAE,  
TYPIS JO. CHRISTOPHORI HERINGII, ACAD. TYPOGR.

DESCRIPTIO VITAE I. INVENTARII

OBLIGATIONE

BOHMI

VASSALIVM

AMPLISSIMI ROTORVM ORDINIS

DE RE VITALI ET CIVILI UNIVERSITATE

DR. JO. CHRISTOPHORI

SPITZ

PROFESSORIS

PRO SVMMIS IN VITROVIVRE HONORIBVS

ET CASSANDIS

ET VITAE DISCIPLINAE ACADEMICAE

AVTOR ET RESPONDENS

CHRISTOPH. FRIDER. MÜLLERVS

ILLUD. SONNENBERGERVS

AVTOR ET RESPONDENS

IN AVSTRIACO ROTORVM ORDINE

DE RE VITALI ET CIVILI

ERFORDIAE

TYPE JO. CHRISTOPHORI HERINGII, ACAD. TYPOG.





DISSERTATIO INAUGVRALIS IVRIDICA  
DE  
OBLIGATIONE DOMINI  
ERGA  
VASALLVM:

PROOEMIUM.



eminem sibi ipsi posse obligari, tenent communiter Juris naturæ interpretes: licet enim sui ipsius conservatio ab homine requiratur, eam tamen homo non sibi sed Deo debet, qui talem exigit, ita ut ejus ratione non sibi sed Deo sit obligatus; *arg. l. 13. ff. ad leg. Aquil.* Hinc sui ipsius occisio est prohibita, pulchre enim *AVGVST. 1. de Civit. Dei* ait:

A 2

Non

Non occides à Deo dictum, non alterum, ergo nec te, neque enim aliud occidit, quam hominem, qui se occidit, vid. *l. 38. ff. §. fin. de pœn.* unde sequitur, in omni obligatione concurrere duos, unum quidem, qui obligatur, alterum vero cui quis obligatus est: Inde quoque fluunt societates in civilibus negotiis, in quibus mutuae obligationum præstationes ab utraque parte sibi locum vindicant. Sic subditi obligantur Principi, princeps subditis, servi dominis, domini servis, parentibus liberi, hisce parentes, & sic pariter vasallus obligatur domino directo, hic vicissim ad certa tenetur vasallo; atque quò frequentior inter JCTos prior obligationis species reperitur, eò rarior est posterior, de quâ proinde in hac dissertatione pro viribus nostris agemus.

## S. I.

**I**nter omnes liquet, partes integrantes, ex quibus seu totum integrale consistit feudum, esse duo Jura in re, directum nempe, & utile dominium, illud seniori, hoc vasallo competens, & duo Jura ad rem seu obligationes, quarum unâ vasallus seniori, alterâ hic illi ad fidem & fidei officia præstanda adstringitur, *II. feud. 6.* ubi non fides Theologica nec historica

rica, neque etiam peculiaris illa domesticitatis aut subjectionis fides, de quâ agitur *II. f. 5.* sed fides feudistica intelligitur, quæ fides tanquam substantialis feudi forma dominum æque ac vasallum concernit, quod satis probat cit. *Textus II. f. 6.* ibi feudista, postquam egit de fidelitate vasalli erga dominium, subjungit: *Dominus quoque in his omnibus vicem fidei suo reddere debet: b. e.* ad eandem fidelitatem securitatis & defensionis tenetur vasallo suo, utut sub diverso gradu & modo, *vid. omnino Jus Saxonicum feud. cap. 77.* tam arcta enim inter utrumque intercedit obligatio, ut propter fidem, quam sibi debent, reciprocam dominus vasallo conjux & amicus dicatur *II. f. 58.* ac judicentur ambo ad paria, & quod dispositum in uno, censeatur etiam dispositum in altero, *II. f. 26. §. domino, II. f. 47. & II. f. 52. in fin.* quæ Juris feudalis dispositio sancta vocatur à *Barone SCHENCKIO c. 1. vers. scias de form. fidel.* licet dominis feudi non parùm displiceat, imò terribilis videatur secundum *BALDVM in dict. text. Vultej. I. f. 10. n. 37.* unde germanorum dicteria: *Getreuer Herr, getreuer Knecht,* *ANTON. disput. 7. Ihes. I. lit. b. Vultej. cit. loc.*

## §. II.

Reciproca hæc fides feudistica, vi cujus uterque mutuâ sibi obligatione tenetur, 6. potissimum capitibus absolvitur *II. f. 6.* ibi: *incolume, tutum, honestum, utile, facile, possibile:* quæ quid sibi velint, antequam tradamus, prius notandum est, quod dictum est, *dominum vasallo vices reddere debere in omnibus,* procedere in his, ad quæ vasallus obligatur domino ex dispositione legis

five consuetudinum feudalium: secus verò est in iis, in quibus vasallus obligatur domino præter LL. dispositionem ex speciali v.g. pacto investituræ: in hisce enim dominus vasallo vices reddere non tenetur, quia contrahentium pactio strictè *l. 99. in prin. ff. de V. O.* nullâ personâ extrinsecus subintellecta interpretanda, *l. 126. ff. de V. O.* nec de tempore ad tempus, *l. 53. §. fin. ff. de pact.* vel de personâ ad personam extendenda, *l. 54. §. Si ex Altera ff. de recept. Arbit.* cavet itaque jus feudale ne dominus patiatur vasallo suo vim inferri vel periculum vitæ strui, potius ut illum ejusque familiam tueatur, præcipit, vid. *l. 2. f. T. 5. in fin. ibi: vitam, membrum &c. custodire Tit. 6. & 7. eod.* præterea sicut vasallus domino contra inimicos auxilium præstare, eumque indefensum relinquere non debet, ita & pari modo dominus vasallo opem ferre, illumque defendere tenetur, JACOB. de s. GEORG. *Verb. & promiserunt n. 29.* Et sicut Vasallus Auxilium præstare tenetur contra omnes, sic & dominus feudi regulariter juvare debet vasallum contra omnem hominem, *l. 2. f. Tit. 28. ibi Gl. & dd. c. 1. §. contra omnes. 2. as. in Tract. feud 7. pari. n. 56.* diximus regulariter, quia Vasallo non tenetur dominus ad auxilium 1) in iis, quæ Juri divino aut naturali repugnant, 2) non tenetur adversus se ipsum dd. communiter *in cit. c. 1. in fin. vid. ROSENTHAL. c. 8. Concl. 12.* quia ordinata charitas à se ipsâ incipit: imo verò dominus, si promississet etiam Vasallum juvare contra se ipsum, ad id tamen non obligabitur, utpote promissione istâ per se nullâ. vid. BORCH. *cap. 7. n. 41.* Hinc dominus non tenetur vitam suam postponere vitæ Vasalli



falli, *ZAS. p. 7. n. 37.* quidquod poterit dominus se se defendendo, vasallum percutere; pariter nec obligatus est dominus opem ferre vasallo adversus uxorem suam, præterquam enim, quod cum uxore sit una caro, ediametro hoc repugnaret individuae vitæ consuetudini, cujus ratione maritus tenetur tam in adversâ quàm secundâ fortunâ uxori assistere. Huc quoque pertinet, dominum, etsi in Judicio pro alio adversus vasallum stare nequeat, posse tamen pro se suâque & suorum salute contra vasallum agere & defendere, neque ad ea hæc regula trahi debet, quæ ex necessitate officii dominus haud dolose facit, hinc Judex si fuerit in causa contra vasallum, non dubitamus, quin possit & debeat, si Jus & Justitia id exigat, adversus vasallum sententiam dicere, imo eum poenæ capitali subicere, *arg. l. 199. de R. I.* sed num (quemadmodum de vasallo consuetudinibus feudali- bus disertè cautum est) dominus vasallo pari ratione contra patrem filium &c. suum (*ipsius domini scilicet*) opem ferre obstrictus sit? famosa inter dd. est contro- versia: *Petrus RAVENNAS* id non admittit, eoquod hoc casu diversa sit ratio inter dominum & vasallum, cum vasallus domino contra di&as personas ob Jura- menti vinculum, quod præcise stringit, devinctus sit, dominus contra non teneatur defendere vasallum me- diante Juramento, utpote quod ei non præstat: Com- munitè tamen placuit (cum dominus non minus obli- gatus sit, vasallum suum tempore necessitatis adjuvare, ac vasallus dominum) nec hoc casu vasallum inter & dominum distinguendum aut differentiam introducendam esse: probatur ulterius ex eo, quod *Textus 2. f. 28.*  
*contra*

*contra omnes*: indistinctè doceat, vassallum obligatum esse juvare dominum & contra fratrem, filium & patrem, non distinguendo, an vassallus ille teneat feudum jurabile, nec ne: Cujacius hanc legem corrigit & vocem (*patrem*) ex Textu tollit, quòd eam nec veteres libri, nec antiquiores interpretes agnoscant.

## §. III.

Verum isthæc correctio uti ab omnibus ferè improbatur, ita & nos contrariæ tanquam communi-ori subscribimus cum grano tamen salis, ita ut Textum *II. f. 28. in fin.* non crudè, pro ut sonat, accipiamus, sed civiliter, tum videlicet licere, quid quod obligari dominum contra patrem, filium vassallo succurrere, si vel pater aut filius domini contra patriam hostile quid moliantur, religionemve oppugnent, cum jamdudum omnes sapientes judicaverint, patriæ salute nihil charius quicquam esse, *arg. l. 35. ff. de relig.* ut videre est apud *Baronem SCHENCKIUM in Comment. ad 2. f. 28. ROSENTHAL cap. 8. Concl. 14. n. 5. & in Alleg. sub lit. f.* vel si dominus feudi contra patrem & filium (de fratre enim minor dubitatio est) vassallo obligetur in iis, quibus lex positiva pietati parentibus liberisque debitæ derogare potest, *SCHRADER. de feud. p. 6. c. 5. n. 2.* Et sic amor, quem pater debet filio, vel etiam reverentia, quam filius debet patri, non obstare potest, quominus datam fidem servet dominus ac vassallum adjuvet contra ejusmodi injustos agredientes: uti nec iste amor inter filium & patrem ipso Jure naturæ intercedens officit, quominus patriam tueatur filius aut pater, contra aggressorem patrem aut filium. *vid. BITSCH. ad cit. Text.*

2. f.

2. f. 28. §. fin. pag. 543. seqq. ubi etiam dissentientibus prolixè respondet. Cæterum utrum in hisce tantum nominatim supra designatis casibus sententia nostra procedat, an verò in casibus quibuscunque, quibus agitur de auxilio præstando vasallo, non qui alium offendit, sed qui ipse injustè offenditur, locum inveniat, adhuc sub Judice lis est; posteriorem tenet VULTEJ. de feud. cap. X. n. 33. rationem affert, quod pater aut filius aut frater vasallum domini injustè offendens, agat contra Jus naturale, quo hominem ab homine beneficio affici potius, quàm offendi & lædi æquum est, ut ita ipse indignus esse censeatur, qui contra jus naturale agens ipsius beneficium imploret, consentiunt STRYK. in exam. J. f. cap. 18. q. 25. STRUV. c. II. Th. 8. LVDW. pag. 293. priorem econtra opinionem defendit HORN. J. f. cap. 18. n. 14. qui decisionem Textus II. f. 28. præter recensitos supra casus mirabilem non minùs ac irrationabilem esse existimat cum RITTERSH. P. II. c. 1. q. 26. ZAS. in Epir. feud. p. 7. n. 33.

§. IV.

Incumbit quoque domino feudi castrum, quod vasallo in feudum concessit, contra hostiles insultus defendere, 2. f. 6. prin. vers. Tutum. ibi: *Vel de munitionibus suis, per quas esse tutus potest.* Nec minus ei permittitur, in illud ingruente bello milites & custodes, etiam invito vasallo, collocare, dummodo tamen id bona fide & absque fraude fiat. BALD. c. 1. §. quid Ergo. n. 3. Sic etiam permissum est domino contra eum, qui injuriam infert vasallo, in Judicio experiri, Math. de AFFLICT. decis. Neap. 265. n. 5. modo hæc injuria

B

ria

ria vasallo illata respiciat simul Jus domini, quod ipse in feudo habet, Secus verò est, si illa vasallum non qua talem respiciat, quo casu non permittitur domino injuriam vasallo illatam in Judicio vindicare.

Illud non satis expeditum est, an dominus vasallum injuste præliantem adjuvare teneatur? illorum, qui indistincte exigunt à domino, ut vasallum defendat, opinio (cujus mentio fit *II. f. 28. prin. versu alii vero*) apud paucissimos, applausum meruit, à plurimis vero ut iniqua merito rejicitur: Verba cit. Textus feudalis *II. f. 28.* videntur talem habere sensum: *quodsi bellum notoriè sit injustum, nihilominus tamen in defendendo dominus vasallum adjuvet, licet non in offendendo alium; quamvis hoc ipsum quoque, si velit id facere, permissum sit:* quod tamen ut & primum de defensione in causâ notoriè injustâ improbat BALDVS *ad cit. Text. 2. f. 28. n. 5. & 6.* qui OBERTVM & GERHARDVM hic duo pecora fuisse dicit, sive jus civile, sive gentium sive etiam divinum spectemus. *vid. JACOB de S. GEORGIO de feud. §. promiserunt.* Cui sententiæ juxta veram Juris universi analogiam adtipulamur: quod igitur feudistæ *cit. 2. f. 28.* tradunt, non teneri vasallo operæ ferre dominum palam guerram irrationabiliter facienti, rectè se habet, malè tamen, quod libertatem concedant, num hac parte vasallo assistere velit dominus nec ne, cum rei, quæ mala est, qualis sine dubio præstatio auxilii malè agenti subministrata, nulla cooperandi competit libertas; neque etiam ferenda est distinctio, num bellum, quod injustè suscipitur, sit offensivum, num defensivum, ita ut in illo dominus vasallo ferre auxilium non tenea-

teneatur, in hoc ob favorem defensionis ad id adstringatur, *And. KOHL. de servit. feud. par. 2. n. 54. SCHRADERSTRYCK. & alii complures.* Nam ubi offensio Justa, ibi defensio injusta est; si defensio injusta, nec tunc patrocinium præstandum est, adeo, ut si dominus vasallum in bello qualitercunque injusto adjuverit, conveniri possit à parte læsæ ad restitutionem damni, nullamque plane excusationem mereatur. *BALD. in c. 1. quib. mod. feud. amit. ROSENTH. c. 8. concl. 9.*

§. V.

Nec est, quòd dicant, non absolutè defensionem exigi, sed sub conditione, si suo Jure non velit excidere dominus; nam si Injusta sit defensio simul atque injusta auxilii præstatio, cur dominus, si illam deneget, dominio directo privandus esset? *dd. in l. 3. ff. de Just. & Jur.* Cæteroquin de hac quæstione ita sentimus, nec debere nec posse auxilium dominum ferre vasallo in bello palam injusto, nec etiam ad defensionem, nisi forte & ipsi domino ex bello isto damnum metuendum, vel salus totius reipubl periclitetur, vel si vasallus, licet in causâ injustâ, ab alio tamen injustè & non legitimo modo offendatur, quibus casibus & defensionem licere & incumbere domino arbitramur; cum igitur neutiquam liceat cooperari malo, & difficillimum sit offensionem unius in defensione alterius evitare, cautè prudenterque agat dominus, attendatque omnes & singulas circumstantias: Constat enim, aliquando posse fieri, ut ex bello injustissimo ex post maximè Justum, & vice versâ emergere queat, posito scil. excessu moderaminis in offendendo aut defendendo il-

B 2

lud

lud communiter tenemus, dominum ad opem vasallo  
 ferendam non obligari, si hic alteri bellum moventi  
 militet stipendio ductus. *SEHRAD. p. 6. c. 6. n. 66.* Cum  
 ipse militiam declinare possit, nullaque eum hoc casu  
 premat necessitas, ob quam exigere possit auxilium;  
 aliud verò obtinet, si belli causa vasallum simul con-  
 cernat. *KOHL. p. 11. n. 9.* Ad prædictam defensionis  
 speciem quam maximè spectat, ne dominus secreta va-  
 falli pandat, facit enim alias contra fidem mutuo da-  
 tam, nec in memoriâ habet *tutum*, hoc est ne sit vasal-  
 lo in damno de secreto. *Textus in c. 17. f. 6.* quem in-  
 terpretes verè omnes sequuntur, *vid. BOCER. de Jure*  
*domin & vasall. lib. 2. c. 5. n. 10.* nam secreta non effu-  
 tire hominum maxime interest, adeo, ut *VAL. MAX.*  
 inter tria, quæ Romanos fecerint orbi terrarum domi-  
 nari, referat, quod secreta anxie custodiverint: sed &  
 Amicus perfidè agit, si secreta sibi commissa revelet;  
 dicitur enim animi custos a *MARC. TVLL.* & eo ipso,  
 quòd amicus ait, se secretum alicui committere, vide-  
 tur ita accipiens hoc tanquam depositum recipere, ut  
 inquit *ISERN. c. 1. si capitanei n. 3. quib. mod. feud. amitt.*  
 & hoc intelligendum est non tantum, si vasallus a  
 principio secretum vel arcanum aliquod domino com-  
 miserit, sed etiam de futuro, si tempore durantis obli-  
 gationis mutuae ei vasallus secretum aliquod manife-  
 staverit, quod adeo verum, ut nec dictis, nec factis,  
 neque literis, neque signis nec ulla alia ratione scienter  
 & dolo malo animo vasallum damnificandi, secreta  
 debeat revelare dominus 2. f. 6. demum nec licet pro-  
 palare domino secreta vasalli, quamvis alii hæc scive-  
 rint,

rint, nisi tamen res esset ita omnibus nota, ut ex domini revelatione nulla amplius vassalli ignominia aut detrimentum suboriri posset; tum enim extra omnem dominus foret reatum, quæ omnia latius exequitur KNIPSCHILT. *in inform. de oblig. dom erga vassall.*

S. VI.

Pariter ut dominus Vassallo exactam administret justitiam, diserte præcipit *textus 2. f. 6. vers. honestum.* ibi: *Ne sit ei damno de sua justitia;* sicut enim vassallus facit contra juratam juramenti religionem domino suo justitiam denegando, sic & vice versa, si dominus vassallo justitiam denegat, contra fidem agit, maxime in eo, quod pares curiæ ad judicandum vel super investitura testificandum non compellat, *ZAS. in Epitom. feud. p. 10. n. 82.* vel etiam si idoneam, quam præstat vassallus, cautionem frivole rejiciat, testes habiles, quorum testimonio de jure nihil objici potest, postulet ut suspectos, aut dolo malo rejiciat, exceptiones non audiat, & cætera, quæ huc spectant, vel committat in fraudem vassalli, vel omittat. *BOCER. de Jur. dom. & Vassal. l. 2. cap. 5. n. 13.* unde, si vassallo justitiam vel expressè denegat dominus vel retardet, prodita sunt remedia, quibus vassallo succurritur; primum est, ut vassallus faciat cogi dominum suum per superiorem ad cognoscendum de causa ipsa per *l. 4. ff. de Arbit.* istud remedium posuit *Gloss. in C. Imperialem §. pen. de prob. feud. alien.* & confirmatur secundum *Alva.* Sin verò superiorem non recognosceret dominus, vel admonitus à superiore, ab hoc desistere, & vassallo justitiam facere nollet, vassallo permittitur dominum deprædare,



eo præsertim casu, quando vasallus Jus suum conse-  
 qui aliter nequivit 2. f. 22. BERTACH. in suo repertor.  
 ver. civis n. 44. quod confirmatur tum ex eo, quod illi,  
 qui justitiam consequi nequit, à superiore permissum  
 sit sua jura propria autoritate vindicare, INNOCENT.  
 cap. olim X. de restit. spoliat. MANTIC. in Tract. de Concil.  
 n. 208. tum etiam, quia propter justitiam denegatam  
 vel protractam, potissimum si læso nulla alia suppetant  
 remedia, & licite bellum inducitur, & infertur extre-  
 me deneganti seu protelanti justitiam. SCHRAD. p. 10.  
 Sect. 4. n. 204. Alterum remedium est, ut vasallus, cu-  
 jus dominus justitiam facere recusat, conveniat adver-  
 sarium suum coram judice ordinario, quia tunc actor  
 debet sequi forum rei, ita habet Gloss. in dict. c. Impe-  
 rial. §. pen. probatur etiam ex auct. de SS. Episcop. & in  
 c. pastoralis X. de offic. ordin. tertium remedium est, quod  
 vasallo recurrere liceat ad superiorem in defectu justi-  
 tiæ. C. irrefragabili X. de off. ordin. §. 2. f. 22. quartum  
 & fortius de jure remedium putamus illud esse, si va-  
 fallus agit, ut dominus privetur jure proprietatis, quod  
 fieri posse in casu denegatæ aut protractæ justitiæ do-  
 cet textus 2. f. 47. junct. 2. f. 24. §. item qui domino.  
 Quamvis experientia doceat, frequenter usu venire, ut  
 vasalli ex causa felonix conveniantur, & feudis suis  
 exuantur, rarissimè & fere nunquam, ut proprietate  
 sua excidant seniores; id tamen de facto tantum acci-  
 dit, siquidem potentia dominorum & alia in causa for-  
 san esse poterunt: EYBEN. in elect. Jur. feud. cap. 11. n.  
 10. in fin. de jure enim ob fidem reciprocam senior &  
 fidelis ad paria tenentur. vide tit. 5. 2. f. in fin.

§. VII.



## §. VII.

Ex dictis, quod dominus & vasallus eodem parilique nexu sibi obligentur, porro fuit, quod dominus vasallum in causa criminali non debeat accusare, vel contra eum accusatorem subornare, testimonium perhibere, advocare, vel pro accusatore fidejubere, aut contra eum injustam sententiam ferre: *SONSBEC. de feud. p. 10. n. 16.* atque sicut in eo omnes fere conveniunt, ita major controversia est de causa civili; de qua tamen nobis idem est iudicium, quod tulimus de causa criminali: *arg. II. f. 33. §. similiter.* Neque nobis illi placent, qui posteriorem in dicto paragrapho arripiunt sententiam, quippe quam feudista tantum recenset, non approbat; neque eorum arridet opinio, qui testimonium putant esse prohibitum in causa modica civili, permissum vero in magna ob textum *II. f. 33. cit. loc. ibi: Testimonium contra eum reddere non debet in civili causa modica:* nam feudista argumentatur ibi à minori ad majus hoc sensu: si in causa modica non licet testimonium dicere, multò magis non licebit in causa magna, cum magis peccet dominus, qui magno onere afficit vasallum, quam qui parvo, jam autem ex allegatis & deductis posterius est illicitum, ergo & prius: quæ hucusque dicta sunt, limitantur 1) si crimen sit atrocius, quod tendit ad eversionem reipubl. *l. 35. ff. de relig. junct. l. 6. C. de delat.* 2) Si allata excusatione dominus à superiore nihilominus fuerit coactus ad dicendum testimonium. 3) Si sit causa feudalis, veluti cum lis sit inter dominum & vasallum de investiturâ, ubi parium curiæ elogia contra ipsum etiam dominum admittuntur.

BITSCH.

BITSCH. *ad §. similiter. 11. f. 33. n. 4.* Sed num domino licitum erit contra vasallum actionem famosam instituere? affirmativam tenet SCHRAD. *p. 6. c. 7. n. 15. Maub. de afflict. decis. Neapol. 265. n. 32.* moventur hac ratione, quod senior clientis personæ non debeat eandem reverentiam &c. sed videtur nobis tutius esse regulæ inhærere, quæ est, quod senior & fidelis ad paria judicentur; & non tam reverentia hic est attendenda, quàm quod dominus vasallum non debeat afficere injuriâ. ROSENTH. *Cap. 10. Con. 72. n. 31.* illud quoque inter Dd. acriter controvertitur, utrum dominus à vasallo Juramentum calumniæ exigere possit? affirmativam cum aliis fovet SCHRAD. *p. 6. cap. 7. n. 16.* ex ratione, quod licet filius & libertus non possint exigere Juramentum calumniæ à patronis atque parentibus, hi tamen ab illis tale rectè exigant, ergo a pari licet vasallus sacramentum calumniæ exigere nequeat à domino, hic tamen ab illo id ipsum exigere non prohibebitur; quæ ratio adeo stringit, ut & nos in suas traheret partes, nisi aliud suaderet Textus Juris feudalis *11. f. 33. §. in quibus. Ibi: Vasallus sacramentum Calumniæ à domino non exigit; quod etiam à parte domini intelligendum est.* Idque videri esse ex natura Feudi, dicit MOZZ. *de natur. feud. n. 129.* cujus rationem disertè exprimit cit. Textus in verbis: *quod quisque Juris in alium statuit, ipse eodem Jure utatur.* Quamvis igitur Jure communi cuiquam fere litigantium liberum sit, ab adversario suo Juramentum calumniæ exigere, in causa tamen feudali, quæ vertitur dominum inter & vasallum, Juramentum calumniæ nec dominus à vasallo, nec vicissim vasallus

fallus à Domino exigere potest. LVDW. pag. 418. VULTEJ. L. 11. cap. 3. n. 6. & seq. de veniæ impetratione minus dubii habet, cum enim vasallo sine veniâ dominum in jus vocare secundum nostram opinionem liceat, præsertim hodie, ubi privata in jus vocatio sublata est, per consequens & veniæ impetratio in usu esse desit, ita & multò magis dominus vasallum liberè in jus vocabit. ANT. diff. Thef. 2. lit. b.

## §. VIII.

Caveat tamen dominus feudi, ne uxorem vel sponfam vasalli adulteret, filiam vel sororem stupret, impudice eas tangat, affectetur, attentet &c. Arg. 1. f. 5. SCHRAD. p. 6. c. 7. n. 6. ZAS. in Epit. feud. p. 10. n. 81. sed quid si uxorem vasalli volentem cognoverit dominus? respondetur nec sic eum excusari, quia etiam sic injuriam infert vasallo, fidemque mutuam violat: feloniam tamen non committeret in casu, ubi ignorasset illam, quam cognovit, esse uxorem vasalli, cum absit animus lædendi vasallum. Sic quoque vigore obligationis mutue vasallo non debet reddere difficile, quod erat facile, L. 2. f. Tit. 6. ibi: *id bonum, quod dominus suis facere leviter poterat, faciat eis difficile.* Quo pertinet, si dominus ex æmulatione & invidiâ foret impedimento, quominus vasallus munia, quæ ejus agendi dexteritas vel in verâ vel quasi militiâ promeruit, consequi valeat, aut si familiæ vasallitiæ apud principem seu dominum territorialem existimationem imminuat, utpote si mentiendo ipsius famæ, ingenio, moribus, facultatibus aut similibus detraxerit, aliisque imposturis usus fuerit, ut inde via salutis, munerum, honorumque præcludatur. BOCER. cit. l. c. 5. n. 20. pariter tenetur va-  
C fallo

fallo non reddere impossibile, quod erat possibile, 2. f. 6. *ibi neve id, quod possibile ei erat, faciat impossibile.* Quod contingeret, si vasallo matrimonium honestum & utile impediatur, forte nobilem vel locupletem illi ducere facile & possibile erat, quod dominus discordiam seminando, vel vasalli famæ & existimationi detrahendo impedimentum injiciens, irritum fecit; quæ de vasallo dicta sunt, etiam vera sunt de ejus liberis, ita ut cavere debeat dominus, ne illis circa matrimonium impedimentum adstruat; facit, quod is non sit vir bonus sed potius calumniator, & stellationatus crimini obnoxius, qui nocendi animo aut ex invidia & livore matrimonia bona, vel spem honesti conjugii calumniis & maledictis impedit & præscindit.

## §. IX.

Placet etiam dominum in necessitate teneri egeno succurrere vasallo: *arg. 2. f. 6. vid. MENOCH. Arb. Jud. quest. c. 182. n. 8. ROSENTH. de feud. c. 8. Concl. 9. l. a. in fin.* Confirmatur ex eo, quod dominus eum loco filii habere debeat, *c. 1. in fin. de form. fidel.* quare ALEX. ab ALEX. *lib. 6. dier. genial. cap. 10.* scribit, lege antiqua olim fuisse cautum, ut seniores ita claros haberent fideles, ac proprios sanguine junctos. Confirmatur ulterius, quod dominus vasallo conjux dicatur. *II. f. 58. vid. diss. nostr. supr.* sicut ergo filius patrem, & e converso pater filium, item maritus conjugem alere tenetur, ita & pari modo dominus vasallo, cum urget necessitas, alimentaministrare debet. Quid vero? si vasallus vel fame, vel magnâ necessitate prematur, an tunc valide & licite feudum distrahet? negant id SCHRAD. *de feud. p. 8. c. 1. n. 21. ZAS. in Epir. feud. p. 9. n. 13. WESENB. de feud.*

*feud. v. 11. n. 2. Curt. JVN. de feud. p. 4. q. 16. n. 107. & alii complures statuendo, quod, etsi de jure antiquo hoc forsitan concessum fuerit, hodie tamen & jure novo simpliciter feudi alienatio sit prohibita per Tit. 9. C. 2. f. §. necessitate. & Tit. 55. in pr. l. 2. f.* Verum non defunt, qui probabiliter existimant, quod (si admodum urgens sit necessitas, cui nisi subveniatur per feudi alienationem, vitæ periculum immineret vasallo, liberis, aut ejus uxori) licitè & validè feudum distrahere possit vasallus, ita tamen, ut prius domino, num is forte illud emere velit, denunciaret, se feudum distracturum, & si dominus licentiam alienandi (id quod in casu proposito facere debet) vasallo concedere nolit, is poterit sine eâ alienare. vid. DECIVS *in cap. que in Ecclesiarum n. 30. MENOCH. cit. loc. n. 12.* Non tamen dominus pro vasallo æs alienum solvere tenetur, quia bonis cedendo semetipsum vasallus carcere liberare valet: *l. 2. C. qui bon. ced. poss.* quod procedit, etiamsi vasallus ad debitum iterum exsolvendum juramento se obligaverit. *arg. 2. f. 26. §. licet.* nisi forte æs alienum in utilitatem domini contractum foret, quo casu id à domino recognosci, & pro vasalli liberatione dissolvi, æquissimum esse arbitramur. *ZAS. p. 7. n. 47. in epit. feud. RITTERSH. in partit. feud. l. 2. c. 1. q. 41.* Similiter dominus vasallum captivum redimere non tenetur, si ex causâ scilicet justâ sit captus vasallus: sin verò in manus hostium incidit, ab iisque captus fuerit, vel alias sine suâ culpa detentus, tum, siquidem tantum pecuniæ è bonis vasalli redigi possit, quantum sufficit ad ejus liberationem, dominus non tenetur sua pecuniâ vasallum liberare, quoniam ipsi subvenire non cogitur, nisi quando & quate-

nus ei necessarium fuerit. *Tit. 21. L. 1. f.* Si vero tantum pecuniæ è bonis vafalli capi nequeat, æquum est, vafallum à domino propriâ pecuniâ liberari. *Arg. tit. 24. 2. f. clarus §. feudum. quæst. 24. n. 2.* VASQ. *l. 1. illustr. Contr. 6. n. 6. vers. 19.* KIRCHOV. *Commun. Conclus. lit. V. Concl. 98. Cent. 5.* VULTEJ. *1. f. 2. n. 52.* ubi altioris indaginis quæstio suboritur illa, num vafallus liberatus (vel vice versa) si perveniat ad pinguiorem fortunam, teneatur ad restitutionem lytri? Tradunt multi scriptores, Electorem Sax. FRIDERICVM II. id denegasse Conrado Kauffungo, quod hic captus in bello intestino à Wilhelmianis solverat. FABR. *orig. Sax. l. VII. pag. 717.* ALBIN. *Cbron. Misn. Tit. 21. quorum hic pag. 266.* causas allegat, ob quas ab hac præstatione liberum fuisse existimat Electorem Sax. aliud tamen monumenta docent, quæ ex Archivo produxit Dn. WECKE *in Cbron. Dresd. p. II. Tit. 2. pag. 166.* quod latius exequitur Dn. RECHENB. *pecul. dissert. de raptu Ernesti & Alberti §. 4. & 5.* quo B. L. brevitatis causa remittimus.

§. X.

Illud certum est, quod dominus directus Juri Vafallagii renunciare possit, si scilicet vafallum non amplius pro tali recognoscere velit: *LYDW. pag. 313.* quo casu fit Consolidatio, & vafallus plenum consequitur dominium, proindeque res ipsa oneribus & tributis subjicitur. *ROSENTH. c. 9. concl. 52. n. 19. & 20.* ubi monet, vix unquam casum hujus refutationis dari, ut de hac re lis futura sit: atque dum *supr.* defendimus, vafallum in casu necessitatis posse alienare feudum, ejusmodi alienatio necessaria multò magis domino permittetur, cum fides vafalli & obligatio, qua domini necessitatibus

fitatibus subvenire tenetur, istam alienationem admit-  
tere postulent. SCHNEID. p. 7. n. 25. STRUV. cap. 13. n.  
4. & 5.

Acerrima tamen inter doctores est disceptatio,  
num dominus dominium suum directum invito vasal-  
lo alienare possit? Etenim non una omnium hac de re  
discurrentium, sed diversa omnino & quintuplex po-  
tissimum est sententia; *primam*, quæ simpliciter affir-  
mat, in proposito casu alienationem locum habere  
invito etiam vasallo, cum multis aliis amplexus est *dn.*  
STRYK. *Exam. Jur. feud. cap. 14. q. 19.* opinionem suam  
munire conantur ex eo, quod dominus nullo beneficio  
affectus sit à vasallo, adeoque dici nequeat in contem-  
tum vasalli ejus consensum omitti.

*Alter*a sententia, quæ restringit hanc domini po-  
testatem, ut disponere quidem possit de proprietate in-  
ter agnatos suos non verò extraneos, propugnatur à  
VULTEJ. *de feud. cap. 9. n. 84. in fin.*

*Tertia*, quæ absolutè negat, invito vasallo licere  
domino feudum Vendere, vel alio quolibet titulo in  
alium transferre, defenditur à SCHRAD. p. 8. cap. 18. n.  
65. *Matth. de afflict. cap. un. in prin. de capit. qui cur  
vendit.* assertum suum tam ex Textu 2. f. 55. s. *similiter.*  
Ibi: *nec dominus feudum sine voluntate vasalli ad alium  
transferat:* quàm etiam ex eo probari putant, quòd,  
sicut vasallus domino invito alium vasallum obrude-  
re nequit, ita nec dominus invito vasallo alium domi-  
num alterius sanguinis dare possit, idque ex naturâ  
correlatorum, quæ hac parte fundata esset in amicitia  
mutuâ, expressâ à doctoribus per fidem reciprocam  
conjugalem. *arg. 2. f. 58. in fin. prin.* REGERVNT, quòd  
ratio

ratio, qua dominus nullo beneficio affectus sit à vasallo, non sit universalis, sed in feudo oblato fallat, insimulque vasallus in persona domini per contractum feudalem Jus quæsitum habeat, atque hoc modo Vasallus adigi non possit, ut fidem & servitia exhibeat ei, cui ista non promissit.

*Quarta* Dd. opinio est, quòd dominus feudum & vasallos cum tota curia alienare possit, modo feudum & vasalli expresse nominentur, alias verò in generali alienatione non continebuntur. 2. f. 26. §. in generali 2. f. 34. §. 1. *Funct.* 2. f. 51. *vid. ZAS. p. 9. n. 11. WVRMB-  
SER. de feud. obs. 34. MOLIN. in consuet. paris. de feud. §. 1.  
gloss. 3. n. 25.* ut ita, quòd domino in parte non concessum est, id concessum ipsi sit in universitate; his consequens est, quòd, si in pluribus locis mihi feudum esset concessum, & dominus partem aliquam venderet, non nisi dominum antiquum recognoscere teneat, cit. Textibus.

*Quinta* demum & ultima sententia fundatur 2. f. 34. §. 1. ubi mediolanensium distinctio, utrum alienatio ista in majorem vel æqualem dominum, aut in minorem facta sit, recepta est: ita ut priore casu, si scilicet in majorem seu æqualem cessio facta sit, ista alienatio valeat, non item in casu posteriore, si videlicet alienatio facta fuerit in infirmiore dominum; quam distinctionem probat *Jus feud. Alem. cap. LXXXIX. ad cujus cap. videatur SCHILT. Confer. heig. p. 1. q. 19.*

Nobis in hoc opinionum Conflictu refragante temporis angustia optimum factu videtur, si interroganti ad hanc quæstionem in conflictu respondeamus, L. B. autem ad singularem cujusque loci consuetudinem remitta-



mittamus. Cæterum necessitas & publica salus sæpe exigunt, ut Jus isthoc vasallorum negligi oporteat; quemadmodum etiam Dd. plerumque in eo conveniunt, quod dominus proprietatem suam in ecclesiam transferre possit invito vasallo. 2. f. 54. §. si contigerit, ZAS. p. 9. n. 9. seq.

§. XI.

Vidimus dominum & vasallum in plurimis ad paria teneri, num brevibus videndum, quomodo & quando dispar sit inter eos obligatio, pro cujus doctrina sequentem præmittimus regulam: quotiescunque solida diversitatis ratio inter obligationem domini & vasalli assignari potest, toties ad paria non judicantur; Inde, licet vasallus debeat reverentiam obedientiamque præstare seniori, ejusque Jurisdictioni subiectus sit in causis feudilibus, adeo, ut Jurisdictionem domini declinare non possit, dominus tamen feudi vasallo neque reverentiam neque obedientiam præstat, neque vasalli imperio subiectus est, cavendum tamen, ne vasallus sit nimium delicatus erga seniore, & ne hic vasallum nimium gravet. Sic, quamvis vasallus domino suo Juratam facere fidem debeat, dominus tamen fidelitatem vasallo disertè non promittit, multò minus Jurato, utpote quæ ex ipso contractu jamjam intelligitur, idque tacitè actum videtur, quando dominus promissionem recipit vasalli. STRUV. c. 8. §. 6. n. 7. ZAS. p. 7. n. 57. probatur argumento patroni, qui liberto suo non Jurat, utut maxime ipsi à libertò Juramentum præstetur. l. qui bona §. pen. ff. de damn. infect. disparitatis rationem quidem in eo ponunt, quod Jure feudali aliud caurum non sit: sed putamus, id tribui honori Senioris, de cujus

jus fide erga vasallum minus dubitare licet, cum tanto  
 in amore fidelem habuerit, ut beneficium ipsi dederit.  
 vid. MYNSING. *decad. 11. resp. 7. n. 2.* Sic quoque va-  
 fallo ob utile, quod habet, dominium, competit facul-  
 tas ex feudo omnes percipiendi fructus, atque hoc respectu  
 præ domino potius Jus habet. 2. f. 8. BOGER. *de mod. amitt.*  
*feud. Tit. 1. n. 62. vers. tum quia dominus.* Vasallus domino peten-  
 ti Titulum possessionis feudi atque instrumentum investituræ  
 exhibere cogitur, non item dominus titulum directi domini  
 edere tenetur, utpote quod non habet à vasallo, bene tamen  
 vasallus utile dominium à domino directo recognoscit.  
 Vasallus contra fidem juratam delinquens, perjurii reatum  
 incurrit, dominus directus non æque, si fidem frangat. 11. f. 6.  
 HORN. 7. f. cap. 12. §. ult. dominus vices reddere non debet in  
 his, quibus vasallus obligatur domino præter legis aut con-  
 suetudinis feudalis dispositionem ex tenore fortè investituræ  
 vel speciali pacto. *vid. supra.* quò evenit, ut vasallus plerumque  
 strictius obligetur domino, quam dominus vasallo, MATTH.  
*de affict. decis. Neapol. 265. n. 3.* per consequens etiam rariora  
 proferunt exempla, vindicatam fuisse fidem fractam domi-  
 norum, quam vasallorum. MOLIN. *in consuet. parisi. §. 2. gloss.*  
*4. n. 22.* Cum enim in plurimis casibus (quorum enumerat  
 quindecim *affict. decis. Neapol. 265. n. 2. vide ALVAROT. in*  
*cap. 1. vers. Et cum datur. not. 2. de consuet. recti feudi*) dari pos-  
 sit ratio diversitatis inter vasallum & dominum feudi, quod  
 dispositum est de uno, ad alium extendi non debet: plura  
 quidem hac de materia dicenda supersunt, sed alia mo-  
 nent, ut huic negotio imponatur  
 Finis.








Erfurt, Diss., 1748-51

X 238 7035







1750, 6  
DISSERTATIO JURIDICA INAUGURALIS

DE  
**OBLIGATIONE  
DOMINI  
ERGA  
VASALLVM,**

17  
25  
6  
EX DECRETO ET AVCTORIATE  
AMPLISSIMI JCTORVM ORDINIS  
IN ILLVSTRI ET PERANTIQVA VNIVERSITATE  
ERFORDIENSI,  
SVB PRAESIDIO

13  
1  
DN. JO. CHRISTOPHORI  
**SPITZ, JCTI,**

FACVLTATIS JURIDICAE NEC NON JVDICII ELECTORALIS PROVINCIALIS  
ASSESSORIS, PROFESS. PVBLICI, H. T. DECANI, ATQVE CIVITATIS  
ERFORD. CONSVLIS,

PRO SVMMIS IN VTROQVE JVRE HONORIBVS  
RITE CAPESSENDIS,

PVBLICO ERVDITORVM EXAMINI SVBMITTIT  
AVCTOR ET RESPONDENS

**CHRISTOPH. FRIDER. MÜLLERVS,**

TILLEDA-SCHWARZBVRGICVS,  
ADVOCAT. ELECT. SAXON. IMMATR.

IN AVDITORIO JCTORVM MAJORI HOR. CONSVET.  
DIE XI. AVGVSTI M DCC L.

ERFORDIAE,  
TYPIS JO. CHRISTOPHORI HERINGH, ACAD. TYPOGR.